

www.e-rara.ch

**Officia propria sanctorum quorundam ex proprio tam Constantiensi,
quam etiam Monasterij S. Galli**

Rudolphi, Joseph <<von>>

Typis ejusdem Monasterij S. Galli, Anno M.DCC.XXIII. [1723]

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-130371>

Festa Martii.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

✠. Gloriâ & honore. Oratio. ut in Breviario.
In Secundis Vesp. commen. S. S. Faustini & Jovis
sæ Mart.

FESTA MARTII.

DIE IV. MARTII.

S. CASIMIRI Confess. Semiduplex. Omnia
de Communi Confess. non Pontif. præter ea, quæ hic
sunt propria.

Oratio.

DEUS, qui inter Regales delicias, & mundi
illecebras, sanctum Casimirum virtute
constantia roborasti: quæsumus; ut ejus in-
tercessione fideles tui terrena despiciant, & ad
cœlestia semper aspirent. Per Dominum.

In primo Nocturno, si venerit in Quadrages. Lectio-
nes. Justus si morte præoccupatus fuerit. De
Communi Conf. non Pont, aliàs de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

CAsimitus, patre Casimiro, matre Elisabe-
thâ Austriacâ, Poloniae regibus ortus, à
pueritia sub optimis magistris, pietate & bonis
artibus instructus, juveniles artus aspero do-
mabat cilicio, & assiduis extenuabat jejuniis.
Regij spretâ lecti mollitie, durâ cubabat hu-
mo, & clam intempestâ nocte, præ foribus
templorum pronus in terra divinam exora-
bat clementiam. In Christi contemplanda

passione assiduus, Missarum solemnibus adeo erectâ in Deum mente solebat adesse, ut extra se rapi videretur.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. *V.* Justum deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi regnum Dei, Et dedit.

Lectio V.

Catholicam promovere fidem summoperè studuit, & Ruthenorum schisma abolere: qua propter Casimirum patrem induxit, ut legem ferret, ne schismatici nova templa construerent, nec vetera collabentia restaurarent. Erga pauperes & calamitatibus oppressos beneficus & misericors, Patris & Defensoris egenorum nomen obtinuit. Virginitatem, quam ab in cunabulis servavit illæsam, sub extremo vitæ termino fortiter asseruit, dum gravi pressus infirmitate, mori potius, quàm castitatis jacturam ex Medicorum consilio subire, constanter decrevit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloria induit eum. * Et ad portas paradisi coronavit eum. *V.* Induit eum Dominus lorica fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio.

Consummatus in brevi virtutibus & meritis plenus, prænuntiato mortis die in-

occurrente. Si verò venerit in Quadragesima. Justus si morte. Ut in Communi Conf. non Pont.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

FRidolinus Regio Scotorum Hibernorùmque sanguine, ut fertur, procreatus, ferventissimo Dei amore flagrans, omnes homines Christi sanguine redemptos Christianam amplecti Religionem cupiebat. Quamobrem multorum locorum, ac urbium peregrinationem suscepit, quibus in itineribus, cùm infideles populos sanctam Catholicamque fidem doceret, innumeros Jesu Christo per Evangelium filios genuit. Tandem Pictavium profectus, Regis Gallorum Clodovei, cognomento Magni, liberalitate ac studio apud Belgas prope Mosellam, Argentinx, Curix Rhetorum, atque alibi etiam Collegia aliquot, propagandæ fidei causâ, instituit, templaque ibidem quamplurima ad divinum cultum ordinata erexit.

*Ps. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.*

Lectio V.

CUM dein Regionem supra Basileam ad Rhenum lustrasset, & situs terræ placuisset,

set, post effusas ad Deum preces, in loco, quem nunc Sekingi nomine oppidum tenet, sedem sibi ac domicilium figere in animum induxit, Ubi Ecclesiam, Numinis ductu, ædificavit, quam Dei honori consecratam ipse frequentare, ut orationi, à nemine impeditus, impensius vacare posset, in eòque sæpissimè pernoctare consueverat. Verùm cum loci illius incolæ, humanitatis pietatisque expertes eum cultum divinum ægriùs ferrent, barbaro furore perciti sanctum virum, qui eos Christo lucrifacere sitiebat, injuriis lacessere, virgisque cedere hostilem in modum cœperunt, donec eum omnino è suis finibus expellerent: qui tamen à Rege Francorum Clodoveo securitate impetratâ, sacratum Virginum collegium instituit, quas crebris exhortationibus ad bene beatèque vivendum excitabat, nihil prætermittens, quod illis prodesse cognosceret.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. *V.* Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

URsum civem Claronensem à se jam primum à mortuis excitatum, manu in pagum Ranquil adduxit, qui coram Landgrave Baldeberto de bonis Monasterio legatis,

contra fratrem Landulphum ea tradere dene-
gantem, testimonium diceret. Cujus mira-
culi admiratione defixus ille inducitur, ut
præter fratris legata, ultrò etiam magni mo-
menti alia quàm plurima sancto Fridolino do-
no daret. Itaque beatus vir, cùm omnem vi-
tæ suæ cursum, in magnis pro Christo labo-
ribus sustinendis consumpsisset, virtute, pru-
dentiâ, miraculisque clarus, senio propè con-
fectus, circa annum salutis humanæ quingen-
tesimum decimum quattum, pridie nonas
Martij, obdormivit in Domino. Ejus corpus
in oppido Sekingi sepultum est.

R. *Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei
Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam:
* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.
†. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & prevenit ad
cælestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.*

*In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Ho-
mo peregrè proficiscens. Ut in Comuni Conf.
Pontif.*

DIE VIII. MARTII.

IN FESTO

S. JOHAN. DE DEO
CONFESSORIS

Ordinis Fratrum Hospitalitatis Fundatoris.
Duplex.

*Omnia de Communi Confess. non Pont. præter
ea quæ sequuntur.*

ORATIO.

DEUS qui Beatum Ioannem tuo amore succensum inter flammam innoxium incedere fecisti : & per eum Ecclesiam tuam nova prole secundasti ; præsta ipsius suffragantibus meritis, ut igne Charitatis tuæ vitia nostra curentur ; & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum &c.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lect. Beatus Vir de commun. 2. Loco.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio IV.

JOANNES de Deo ex Catholicis, piisque Parentibus in Oppido Montis maioris junioris Lusitaniæ natus ; quam sublimiter in sortem Domini fuerit electus, insuetus splendor super ejus domo refulgens, sonitusque æris campanæ sua sponte emissus ab ipso natiuitatis tempore non obscure prænuciarunt ; à laxiori vivendi ratione divina operante virtute revocatus, magnæ sanctitatis exhibere specimen cœpit, & ob auditam prædicationem Verbi Dei sic ad meliora se excitatum sensit, ut jam ab ipso sanctioris Vitæ rudimento consummatum aliquid perfectumque visus

fit attigisse : bonis omnibus in pauperes carceribus inclusos erogatis, admirabilis pœnitentiæ, sui que ipsius contemptus cuncto populo spectaculum factus, à plerisque ceu demens graviter afflictus in carcerem amentibus destinatum conjicitur. At Joannes cœlesti charitate magis incensus, gemino, atque amplo valetudinario ex piorum elemosynis in Civitate Granatensi extracto, jactoque sui Ordinis fundamento Ecclesiam nova prole fœcundavit Fratrum Hospitalitatis infirmis præclaro animarum corporumque profectu inservientium, & longè lateque per Orbem diffusorum. R. Honestum &c.

Lectio V.

PAuperibus ægrotis, quos proprijs, quandoque humeris domum deferebat, nulla re ad animæ, corporisque salutem proficua deerat, effusa quoque extra Nosocomium Charitate indigentibus Mulieribus, Viduis, & præcipue Virginibus periclitantibus clam alimenta subministrabat, curamque indefessam adhibebat, ut carnis concupiscentiam à proximis hujusmodi vitio in quinatis exterminaret. Cum autem in Regio Granatensi valetudinario excitatum fuisset incendium: Ioannes impavidus profiliit in ignem, huc illuc discurrens quousque tum infirmos hume-

ris exportatos, tum lectulos è fenestris projectos ab igne vindicavit ac per dimidiam horam inter flammam jam in immensum subcrescentes versatus exindè divinitus incolumis, universis civibus admirantibus exivit, in schola charitatis innocens segniorum in eum fuisse ignem, qui foris usserat, quam qui intus accenderat. *R.* Amavit &c.

Lectio VI.

Multiplici asperitatum genere, demississima obedientia extrema paupertate, orandi studio, rerum divinarum contemplatione, ad Beatam Virginem pietate mirifice excelluit, & lachrymarum dono enituit. Denique gravi morbo correptus, omnibus Ecclesie Sacramentis ritè sanctèque refectus, viribus licet destitutus proprijs indutus vestibus è lectulo surgens, ac provolutus in manu, & Corde Christum Dominum è Cruce pendentem perstringens octavo idus Martij Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo obdormivit in osculo Domini quem etiam mortuus tenuit, nec demisit, & in eadem corporis constitutione sex circiter horas quousque inde dimotus fuisset, tota Civitate inspectante mirabiliter permansit, odorem mirè fragrantem diffundens, quem ante, & post obitum plurimis miraculis clara Alexander Octav.

Octavus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit. &c. Iste homo &c.

In tertio Nocturno.

Homilia per extensum, quæ habetur in Dom. 17. post Pentec.

Si venerit in Quadrag. ex 8. & 9. lect. fiat una cum 9. lect. & com. Fer. cur. Missa *Iustus*, or. ut supra Evang. ex Dom. 17. post Pent. cum Evang. in fin.

DIE IX. MARTII.

S. FRANCISCÆ Romanæ viduæ. Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEUS, qui beatam Franciscam famulam tuam inter cætera gratiæ tuæ dona, familiari Angeli consuetudine decorasti: concede quæsumus, ut intercessionis ejus auxilio Angelorum consortium consequi mereamur. Per Dominum.

In primo Nocturno. Lektionen. Mulierem fortem. De Communi nec Virg. nec Mart.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

FRANCISCA nobilis Matrona Romana, ab ineunte ætate illustra dedit virtutum exempla; etenim pueriles ludos & illecebras mundi respuens, solitudine & oratione magnoperè delectabatur. Undecim annos nata, virgini-

nitatem suam Deo consecrare , & Monasterium ingredi proposuit : parentum tamen voluntati humiliter obtemperans , Laurentio de Pontianis juveni æquè diviti ac nobili nupsit. In matrimonio arctioris vitæ propositum , quantum licuit , semper retinuit ; à spectaculis , conviviis , aliisque hujusmodi oblectamentis abhorrens , laneâ ac vulgari veste utens ; & quidquid à domesticis curis supererat temporis , orationi , aut proximorum utilitati tribuens : in id verò maximâ sollicitudine incumbens , ut Matronas Romanas à pompis sæculi , & ornatûs vanitate revocaret. Qua propter Domum Oblatarum , sub Regula sancti Benedicti , Congregationis Montis Oliveri , adhuc viro alligata in Urbe instituit. Viri exilium , bonorum jacturam , ac universæ domûs mœrorem non modò constantissimè toleravit ; sed gratias agens cum beato Job , illud frequenter usurpabat , Dominus dedit , Dominus abstulit , sit nomen Domini benedictum.

R. Propter veritatem , & mansuetudinem , & justitiam : * Et deducet te mirabiliter dextera tua.
R. Specie tuâ & pulchritudine tuâ , intende , prospere procede , & regna. Et deducet.

Lectio V.

Viro defuncto ad prædictam Oblatarum domum convolans , nudis pedibus , fune
 ad

ab collum alligato, humi prostrata, multis cum lacrymis earum numero adscribi suppliciter postulavit: voti compos facta, licet esset omnium mater, non alio tamen quam ancillæ, vilissimæque feminæ, & immunditiæ vasculi titulo gloriabatur. Quam vilem sui existimationem & verbo declaravit, & exemplo: sæpè enim è suburbana vinea revertens, & lignorum fascem proprio capiti impositum deferens, & eisdem onustum agens per urbem asellum, pauperibus subveniebat; in quos etiam largas eleëmofynas erogabat; ægrotantesque in xenodochiis visitans, non corporali tantùm cibo, sed salutaribus monitis recreabat: corpus suum vigiliis, jejuniiis, cilicio, ferreo cingulo, crebrisque flagellis in servitutem redigere jugiter satagebat. Cibum illi semel in die herbæ & legumina, aqua potum præbuit. Hos tamen corporis cruciatus aliquando Confessarij mandato, à cuius ore nutrûque pendeat, modicè temperavi.

R. Dillexisti justitiam, & odisti iniquitatem: *
 Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. *V.*
 Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam,
 Propterea à.

Lectio VI.

Divina mysteria, præsertim verò Christi Domini Passionem, tanto mentis ardore, tan-

tantæque lacrymarum vi contemplabatur, ut præ doloris magnitudine penè confici videretur. Sæpè etiam cùm oraret, maximè sumpto sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, spiritu in Deum elevata, ac cælestium contemplatione raptâ, immobilis pernoctabat. Quapropter humani generis hostis variis eam contumeliis ac verberibus à proposito dimovere conabatur: quem tamen illa imperterrita semper elusit; Angeli præsertim præsidio, cujus familiari consuetudine gloriosum de eo triumphum reportavit. Gratiâ curationum, & prophetiæ dono enituit, quo & futura prædixit, & cordium secreta penetravit. Non semel aquæ, vel per rivum decurrentes, vel è cælo labentes, intactam prorsus, dum Deo vacaret, reliquerunt. Modica panis fragmenta, quæ vix tribus sororibus reficiendis fuissent satis, sic ejus precibus Dominus multiplicavit, ut quindecim inde exaturatis, tantum superfuerit, ut canistrum impleverit: & aliquando earundem sororum, extra urbem mense Januarii ligna parantium, sicut recentis uvæ racemis, ex vite in arbore pendentibus, mirabiliter obtentis, abundè expleverit. Denique meritis & miraculis clara, migravit ad Dominum anno ætatis suæ quinquagesimo sexto: quam Paulus quintus Pontifex Maximus in Sanctarum numerum retulit.

*Ps. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. Ps. Date ei desfructus manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.*

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Simile est regnum Cœlorum thesauro. De Communi nec Virg. nec Mart.

DIE XVII. MARTII.

S. PATRITII Episc. & Confess.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut beati Patritij confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, & devotionem nobis au-
geat, & salutem. Per Dominum.

DIE XIX. MARTII.

OFFICIUM S. JOSEPH SPONSI B. M. V.
Confessoris duplex secunda Classis.

A Sac. Rituum Congregatione recognitum & approbatum.

De Mandato SS. D. N. D. CLEMENTIS
Divina Providentia Papæ IX.

In Breviario Romano apponendum. Et ab
omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui ad
Horas Canonicas tenentur, recitandum
die decima nona Martij.

AD

AD VESPERAS.

Antiphona.

Jacob aurem genuit Joseph Virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Psalmus: Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, *Psalmus*: Laudate Dominum omnes gentes.

Antiph. Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, de Domo David, & nomen Virginis Maria.

Antiph. Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

Antiph. Ioseph Vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

Antiph. Angelus Domini apparuit Ioseph dicens: Ioseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum.

Capit. Prov. 28. & 27.

Vir fidelis multum laudabitur, & qui Custos est Domini sui, glorificabitur.

Hymnus.

TE Joseph, celebrent agmina cœlicum.
Te cuncti resonent Christiadam Chori.
Qui clarus meritis junctus es inclytæ.

Casto fœdere Virgini.

Almo cum tumidam germine conjugem,
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi flaminis Angelus

Conceptum puerum docet.

Tu natum Dominaum stringis, adexteris,
Ægypti profugum tu sequeris plagas,
Amisum, solymis quæris, & invenis

Miscens gaudia fletibus.

Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit,

Tu Vivens, superis par, frueris Deo,

Mira sorte beatior.

Nobis summa Trias, parce precantibus,
Da Ioseph miritis sidera scandere;

Ut tandem liceat, nos tibi perpetim.

Gratum promere canticum. Amen.

ψ. Constituit eum Dominum domus suæ.

℞. Et Principem omnis possessionis suæ.

Ad Magnificat. Antiphona.

Exurgens Ioseph à somno fecit, sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit Conjugem suam.

Oratio.

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione doneatur. Qui vivis, &c.

si celebretur in Quadragesima, sit commemoratio seriæ,

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

CHristum Dei filium, qui putari dignatus est filius Joseph: Venite adoremus.

Psalm. Venite adoremus,

Hymnus.

COelitum Joseph decus, atque nostræ
Certa spes viæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus benignus,
Suscipe laudes.

Te factor rerum statuit pudicæ.

Virginis Sponsum, voluitque Verbi.

Te Patrem dici, dedit & ministrum.

Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,

Quem Chorus vatum cecinit futurum,

Aspicis gaudens, humilisque natum

Numen adoras.

Rex Deus Regum Dominator Orbis,

Cujus ad nutum tremunt inferorum

Turba, cui pronus famulatur æther
 Se tibi subdit.
 Laus sit excelsæ Triadi perennis,
 Quæ tibi præbens superos honores,
 Det tuis nobis meritis beatæ
 Gaudia vitæ. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Ascendit Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria.

Psalms: Beatus Vir. Cum reliquis de Comuni Confess. non Pontif.

Antiph. Venerunt Pastores fest nantes : & invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio.

Psalms: Quare fremuerunt.

Antiph. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicen: surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.

Psalms: Domine quid multiplicari.

Ÿ. Constituit eum Dominum Domus suæ.

℞. Et Principem omnis possessionis suæ.

De Libro Genesis.

Lectio I. Cap. 39.

Ioseph igitur ductus est in Ægyptum, emitte
 que eum Putiphar Eunuclus Pharaonis
 Prin-

Princeps Exercitus, Vir Ægyptius, de manu
 Ismaëliitarum, à quibus perductus erat.
 Fuitque Dominus cum eo, & erat Vir in cun-
 ctis prosperè agens: habitavitque in domo Do-
 mini sui, qui optimè noverat Dominum esse
 cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi
 in manu illius. Invenitque Joseph gratiam
 coram Domino suo, & ministrabat ei, à quo
 præpositus omnibus gubernabat creditam sibi
 Domum, & universa, quæ ei tradita fuerant:
 benedixitque Dominus domui Ægyptij prop-
 ter Joseph.

Et. Fuit Dominus cum Joseph, & dedit ei
 gratiam in conspectu Principis carceris; * Qui
 tradidit in manu illius universos vinctos. †.
 Quidquid fiebat, sub ipso erat: Dominus
 enim erat cum illo, & omnia opera ejus diri-
 gebat. Qui tradidit in manu &c.

Genes. Cap. 41.

Lectio II.

PLacuit Pharaoni consilium Joseph, & cun-
 ctis Ministris ejus: Locutusque est ad eos:
 Num invenire poterimus talem Virum, qui
 Spiritu Dei plenus sit? dixit ergo ad Joseph:
 Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus
 es, numquid sapientiosem & consimilem tui
 invenire potero? tu eris super domum meam,

& ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum Regni solio Te præcedam.

R. Esuriente Terra Ægypti clamavit populus ad Regem alimenta petens. Quibus ille respondit: * Ite ad Joseph, & quidquid vobis dixerit, facite.

ψ. Crescebat quotidie fames in omni terra: aperuitque Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptijs. Ite ad Joseph, & quidquid &c.

Genes. Cap. 41.

Lectio III.

Dixitque rursus Pharaon ad Joseph: Ecce constitui Te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus: vestivitque eum Stola byssina, & collo Torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpositum esse scirent universæ Terræ Ægypti. Dixitque Rex ad Joseph: Ego sum Pharaon: absque tuo Imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni Terra Ægypti.

R. Fecit me Dominus quasi Patrem Regis, & Dominum universæ domus ejus: nolite pavere, * Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. ψ. Venite ad me & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, & comed-

detis medullam terræ. * Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Glor. Pat. Pro salute enim vestra &c.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Confurgens Joseph accepit puerum, & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum: & erat ibi usque ad obitum Herodis.

Psalmus: Cum invocarem.

Antiph. Defuncto Herode Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens: Surge & accipe puerum & Matrem ejus, & vade in Terram Israël: Defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri. *Psalmus.* Verba mea.

Antiph. Accepit Joseph Puerum & Matrem ejus, & venit in Terram Israël,

Psalmus. Domine Dominus noster:

ψ. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℞. Gloriam & magnum decorem impones super eum.

Sermo S. Bernardi Abbaris.

Homil. 2. super Missis, propè finem.

Lectio IV.

Quis & qualis homo fuerit beatus Joseph, conjice ex appellatione, qua, licet dispensatoris, meruit honorari aded, ut Pater Dei & dictus & creditus sit: conjice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubi-

tas interpretari. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam.†

R. Ascendit Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth in Iudæam, in Civitatem David. quæ vocatur Bethlehem; * Eo quod esset de domo, & familia David. ψ. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi Uxore. Eo quod esset.

Lectio V.

Siquidem ille Joseph, fraterna ex invidia venditus, & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit. Iste Ioseph, Herodianam invidiam fugiens Christum in Ægyptum portavit. Iste Domino suo fidem servans, Domine noluit commisceri: iste Dominam suam Domini sui Matrem, Virginem agnoscens, & ipse continens, fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium Sacramentorum.

R. Surge & accipe Puerum, & Matrem ejus & fuge in Ægyptum. * Et esto ibi, usque dum dicam tibi. ψ. Ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem

tem

tem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et esto.

Lectio VI.

ILle frumenta servavit non sibi, sed omni populo: iste panem vivum è cœlo servandum accepit tam sibi, quàm toti mundo. Non est dubium; quin bonus & fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis inquam, servus & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadjutorem fidissimum.

℞. Cum inducerent Puerum Iesum Parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: * Accepit eum Simeon in ulnas suas, & benedixit Deum. ψ. Et erat Pater ejus, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Accepit eum. Gloria Patri. Accepit eum.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Audiens Ioseph, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode Patre suo, timuit illò ire.

Psalmus: Domine quis habitabit.

Antiph. Admonitus in somnis Ioseph secessit in partes Gallileæ: & veniens habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth; ut adimple-

retur quod dictum est per Prophetas : quoniam Nazaræus vocabitur.

Psalmus : Domine in virtute tua,

Antiph. Erat Pater Iesu , & Mater mirantes super his , quæ dicebantur de illo ; & benedixit illis Simeon.

Psalmus : Domini est terra.

ʒ. Iustus germinabit sicut lilium.

ʒ. Et florebit in æternum ante Dominum.

Lectio S. Evangelij Secundum Mathæum.

Lectio VII. Cap. I.

CUM esset desponsata Mater Iesu Maria Joseph , antequam convenirent , inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

QUARE non de simplici Virgine , sed de desponsata concipitur ? Primum , ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur : secundo ne lapidaretur à Iudæis ut adultera : tertio , ut in Ægyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam ; cur à desponsata conceptus sit : ut partus , inquam , ejus celaretur diabolo , dum eum putat non de Virgine ; sed de uxore generatum.

ʒ. Dicit Mater Iesu ad illum : Fili quid fecisti nobis sic ? * Ecce Pater tuus , & ego dolent-

lentes quærebamuste. *ψ.* Erat ad illos: quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Ecce Pater tuus.

Lectio VIII.

Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Non ab alio inventa est nisi à Joseph, qui penè licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat. Quod autem dicitur; antequam convenirent: non sequitur ut postea convenerint: sed scriptura quod factum non sit ostendit.

ꝛ. Descendit Jesus cum eis, & venit Nazareth; * Et erat subditus illis. *ψ.* Proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Et erat subditus illis. Gloria Patri. Et erat.

Nona Lectio dicitur de Homilia feriæ occurrentis, si celebretur in Quadragesima. & de ea fit commemoratio in Laudibus.

Lectio IX.

Joseph autem Vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Siquis fornicariæ conjugitur, unum corpus efficitur: & in lege præceptum est, non solum reos, sed & conscios criminum obnoxios esse peccati: quomodo Joseph, cum

crimen cœlaret uxoris, justus scribitur? Sed hoc testimonium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem, & admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat. Te Deum.

AD LAUDES.

Et per Horas.

Antiphona.

IBant Parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem, in die sollemni Paschæ.

Psalmus : Dominus regnavit. *Cum Reliquis.*

Antiph. Cùm redirent, remansit Puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt Parentes ejus.

Antiph. Non inveniētes Jesum, regressi sunt in Jerusalem requirentes eum : & post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem eos.

Antiph. Dixit Mater ejus ad illum, Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

Antiph. Descendit Jesus cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.

Capit. Prov. 28. & 27.

Vir fidelis multum laudabitur, & qui Custos est Domini sui, glorificabitur.

Hym.

Hymnus.

Iste, quem læti colimus fideles.

Cujus excelsos canimus triumphos,
Hac die, Joseph, meruit perennis
Gaudia vitæ.

O nimis foelix, nimis ð beatus,
Cujus extremam, vigiles, ad horam
Christus, & Virgo simul astiterunt
Ore sereno.

Hinc stygis victor, laqueo solutus
Carnis, ad sedes placido sopore
Migrat æternas, rutilisque cingit
Tempora fertis.

Ergo regnantem flagitemus omnes,
Adsit ut nobis, veniamque nostris
Obtinens culpis, tribuat supernæ
Munera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honores
Trinè, qui regnas, Deus; & Coronas
Aureas seruo tribuis fidei

Omne per ævum. Amen.

ÿ. Os justì meditabitur sapientiam.

✱. Et lingua ejus loquetur judicium.

Ad Benedictus.

Antiph. Ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph.

Oratio.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus
Do-

Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessionem donetur. Qui vivis &c.

AD TERTIAM.

Antiph. Cùm redirent.

Capitulum.

Vir fidelis &c. *ut supra.*

℞. Breve. Constituit eum Dominum domus suæ: * Constituit. *ψ.* Et Principem omnis possessionis suæ. * Dominum Domus suæ. Gloria Patri. Constituit. *ψ.* Magna est gloria ejus in salutari tuo. *℞.* Gloriam, & magnum decorem impones super eum.

AD SEXTAM.

Antiph. Non invenientes.

Capitulum. Eccles. 45.

Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione est, In fide & lenitate ipsius Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

℞. Breve. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

* Magna est. *ψ.* Gloriam, & magnum decorem imponens super eum. In salutari tuo.

Gloria Patri. Magna est.

ψ. Iustus germinabit, sicut liliam

℞. Et florebit in æternum ante Dominum.

AD

AD NONAM.

Antiph. Descendit, Iesus.*Capit. Sap. 10.*

Profugum justum deduxit Sapiencia per
 vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei,
 & dedit illi scientiam Sanctorum, honestavit
 illum in laboribus & complevit labores illius.
℞. Breve. Iustus germinabit, sicut lilium: *
 Iustus *ψ* Et florebit in æternum ante Do-
 minum. Sicut lilium.

Gloria Patri. Iustus germinabit.

ψ. Plantatus in domo Domini.*℞.* In atrijs domus Dei nostri.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Ibant Parentes &c. ut in laudibus.*Capitulum, & Hymnus, ut in primis Vesperis.**ψ.* Gloria & divitiæ in domo ejus.*℞.* Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.*Ad Magnificat.**Antiph.* Ecce fidelis servus, & prudens, quem
 constituit Dominus super familiam suam.*Oratio.*

Sanctissimæ Genitricis &c. ut supra.

Deindè fit commemoratio S. Joachim Patris B. M. V.

Antiph. Laudemus Virum gloriosum in
 generatione sua, quia benedictionem Om-
 nium gentium dedit illi Dominus, & testa-
 mentum suum confirmavit super Caput ejus.*ψ.* Po-

ŷ. Potens in terra erit semen ejus.
 R. Generatio rectorum benedicetur.

Oratio.

DEus, qui præ omnibus Sanctis tuis Beatum
 Joachim Genitricis Filij tui Patrem esse
 voluisti: concede quæsumus, ut cujus festa ve-
 neramur, ejus quoque perpetuò patrocinia
 sentiamus. Per eundem Dominum &c.

*Et si celebretur in Quadragesima, sit etiam commem-
 oratio feriæ.*

DIE XX. MARTII.

S. JOACHIM, Confess, Patris beatissimæ Virginis
 MARIE. Duplex. Omnia ut in Communi Confess.
 non Pontif. ŷ. & Antiph. in 1. Vesp. ad Magnif. & in
 Laudib. ad Bened. ŷ. Potens in terra erit semen
 ejus. R. Generatio rectorum benedicetur.

Antiph. Laudemus virum gloriosum in ge-
 neratione sua, quia benedictionem omnium
 gentiam dedit illi Dominus, & testamentum
 suum confirmavi super caput ejus.

Oratio.

DEus, qui præ omnibus sanctis tuis bea-
 tum Joachim genitricis filij tui patrem
 esse voluisti: concede quæsumus; ut cujus
 festa veneramur, ejus quoque perpetuò pa-
 trocinia sentiamus, Per eundem Dominum.

*In primo Nocturno. In Quadragesima. Lectiones de
 libro*

libro Ecclesiastici. Beatus vir, qui inventus est. de
Communi Confess. non Pont.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Epiphaniij Episcopi.

Orat. de Laud. Virg. sub initium.

Lectio IV.

DE radice Jesse ortus est Rex David, & de
tribu Regis David sancta Virgo: sancta,
inquam, & sanctorum virorum filia: cuius
parentes fuerunt Joachim & Anna: qui qui-
dem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam
ejusmodi fructum germinaverunt, sanctam
virginem Mariam, templum simul, & ma-
trem Dei. Joachim porrò, Anna, & Maria,
hi tres Tinitati palàm sacrificium laudis of-
ferebant. Joachim enim interpretatur præ-
paratio Domini, eò quòd ex illo præparatum
sit templum Domini, nempe Virgo. Anna
rursus similiter gratia interpretatur, propte-
rè quòd Joachim & Anna gratiam accepe-
runt, ut accedenibus precibus, talem fru-
ctum germinarent, sanctam Virginem adepti:
Joachim siquidem precabatur in monte, &
Anna in horto suo.

Et Honesum fecit illum Dominus, & custodivit eum
ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit
illi claritatem æternam. V. Jussum deduxit Dominus
per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

H

Ser-

Sermo S. Joannis Damasceni.

Orat. I. de Virginis Mariæ Nativitate circa
principium.

Lectio V.

QUoniam futurum erat, ut Dei genitrix
& virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ
foetum antevertere minimè ausa est: verùm
tantisper expectavit, dum gratia fructum
suum produxisset. Siquidem oportebat eam
primogenitam in lucem edi, quæ rerum o-
nium conditarum primogenitum, in quo
omnia coagmentata sunt, paritura erat. O par
beatum Joachim & Anna! vobis omnis crea-
tura obstricta est. Per vos enim donum, om-
nium donorum præstantissimum Creatori ob-
tulit, nempe castam matrem, quæ sola Crea-
tore digna erat.

*R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam
gloriæ induit eum: * Et ad portas Paradisi coronavit
eum. V. Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & orna-
vit eum. Et ad portas.*

Lectio VI.

EXulta Joachim, quoniam ex filia tua fi-
lius natus est nobis, & vocatur nomen
eius magni consilij, hoc est, salutis totius mûdi
Angelus. Pudore afficiatur Nestorius, ac ma-
nam ori imponat. Puer hic Deus est. Quo-
nam igitur modo ea Dei genitrix non sit, quæ
pe-

peperit? si quis sanctam Dei genitricem non confitetur, à Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quanquam alioqui mea; hanc enim divinisimam hæreditatem à Theologo Patre Gregorio accepi. O beatum par Joachim & Anna! ac profectò ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ut Deo gratum erat, ac dignum eâ, quæ à vobis orta est, vitæ vestræ rationes institulistis. Castè enim ac sanctè munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis,

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus. & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; *
Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. V.
Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia. Gloria. Quia.

In tertio Nocturno.

[*Lectio sancti Evangelij secundum Mat-*
thæum.

Lectio VII. Cap. I.

Liber generationis Jesu Christi filij David, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Ex libro 4. de fide orthodoxa. cap. 15. De Domini genealogia, & sanctæ Dei Genitricis.

QUOD Joseph ex Davidica tribu originem duxerit, sanctissimi Evangelistæ Matthæus & Lucas liquidò demonstrarunt. Verùm hoc inter eos discriminis est, quòd Matthæus ex Davide per Salomonem Josephum deducit: Lucas autem per Nathan. At verò sanctæ virginis ortum uterque silentio præterit. Quocirca scire operæ præmium est, nec apud Hebræos, nec apud Scripturam sacram hoc in more positum fuisse, ut mulierum genus recenseretur. Verùm hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxores ex altera tribu accerferet. Ac proinde Joseph, qui ex tribu Davidica ortum trahebat, justiciamque colebat (hanc enim laudem ei tribuit divinum Evangelium) sanctam Virginem haud quaquam præter legis præscriptum despondisset, nisi ex eodem sceptro genus duxisset, Ob idque satis habuit Evangelista demonstrasse, unde Joseph ortum traxerit.

*Oratio. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. V. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.*

LECTIO VIII.

IGITUR ex stirpe Nathan filij David, Levi genuit

genuit Melchi, & Pantherem. Panther autem genuit Barpanherem (namque ita vocabatur) Barpanther rursus genuit Joachim. Joachim denique genuit sanctam Dei genitricem. Rurſus ex ſtirpe Salomonis filij David, Mathan ex uoxre ſua genuit Jacob: mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Levi, ac frater Pantheris, uxorem ipſius Mathan, quæ etiam Jacobi mater erat, matrimonio ſibi copulavit, atque ex ea genuit Heli: ita uterini fratres erant Jacob & Heli, ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus.

R. Sine lumbi veſtri præcinſi, & lucerna ardentes in manibus veſtris: * Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis.
V. Vigilate ergo, quia nescitis, quâ horâ Dominus venturus ſit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

PORRò Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis ſuſceptis, è vita migravit: eaque de cauſa Jacob ipſius frater, qui de tribu Salomonis fluxerat, ipſius uxorem accepit, fratrisque ſuo ſemen excitavit, ac Joſephum progenuit. Joſeph itaque naturâ quidem filius Jacob erat à Salomone oriundus: legis autem ratione patrem habebat Heli ex Nathan oriundum. Quæ cum ita ſint, Joachim lectiſſiman

siman illam, ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulavit. Verùm, quemadmodum prisca illa Anna, cùm sterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promissionem Samuëlem procreavit: eodem modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem Dei genitricem à Deo accepit, ut ne hïc quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet. Itaque Gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit (Id enim Mariæ nomine significatur.) Verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cùm Creatoris mater exitit. Te Deum.

DIE XXII. MARTII.

In Festo B. NICOLAI de Flie Confess. duplex,
Omnia de Communi Conf. non. Pont. præter ea, quæ
notantur infra.

In Vesperis, & ad Matutinum.

Hymnus.

SCRUTATOR Alme siderum
Adhuc stricto in alvo Matris:
Intima Helvetùm corda,
Benigno aspice lumine,
Qui se domans jejuniis,
Angelorum tantùm escâ
Quatuor cibans ferè lustris:
Nos à cunctis malis exue.
Tu Trinitatis meritus

Osten-

Ostentum in terris, nobis
 In Cœlis redde secundum
 Tui precatu servulis.

Qui pagum nostrum horridis
 Cinctum eripuiti flammis:
 Nos gehennæ ab incendiis
 Tua virtute libera.

Sit laus Patri, sit Filio,
 Tibique sancte Spiritus,
 Da Nicolai precibus,
 Beata nobis gaudia, Amen.

In utrisque Vesperis.

Ÿ. Cibasti Domine servum tuum Nicolaum.
 ꝛ. Pane vitæ & intellectûs.

Oratio.

DEUS, qui beatum Nicolaum Eremitam
 Angelorum escâ mirabiliter nutrire, &
 sanctissimæ Trinitatis visione illustrare vo-
 luisti: concede quæsumus; ut ejus interce-
 sione Dominicum Corpus, & Sanguinem
 dignè sumere in terris; & gloriosum conspi-
 cere mereamur in cœlis. per Dominum.

Lectioes primi Nocturni.

Justus si morte, &c. ut in Communi Conf. non Pont.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Nicolaus de Flüe, Helvetius, in Sachslensi
 Cantonis Subsilvanix Pago, Constan-
 tiensis

tientis Dicecesis, honestis parentibus procreatus; quantâ sanctitate, & miraculis orbem illustraturus esset, adhuc in angusto Matris utero indicavit; dum latum Cœlum suis luminibus distinctum vidit; stellamque unam præ cæteris ita coruscantem, ut radij per totum mundum se diffunderent, Vix natus, pari prodigio Matrem, atque Obstetricem; deinde Paternos, Patronos, ac alios Baptismo suo assistentes agnovit. Pueritiam eximiâ morum innocentia, & sine ulla mendacij labe exegit. Adolescens terna sibi per hebdomadam jejunia ad Sanctorum Nicolai Myrensis, & Tolentinatis imitationem indixit. Rebus porro divinis contemplandis diu noctûque sic erat intentus, ut ad solitudinem ardentissimè aspiraret. Obstantibus verò parentum, & cognatorum votis cessit invidus; dum ad cælibem vitam Sanctorum exemplo raptus matrimonio se alligavit: è quo filios quinque, totidémque filias procreavit. Inde militiam aliquamdiu secutus, innatam pietatem nunquam deseruit. Cùmque ex ea rediret, supremum Patriæ magistratum sæpius oblatum constanter respuit: & præcipuè, dum luce Divinâ præventus, ex corrupto Judicum ore sulphureas erumpere flammâs videret.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. *V.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

CUM interim Deus non desineret illus pe-
ctus altioris vitæ desiderii succedere,
bonâ denique conjugis veniâ, relictis omni-
bus, in vicinam Eremum secessit: ubi propè
viginti annos inusitatâ vitæ austeritate tra-
duxit; præcorum Anachoretatum miracula,
& virtutes ita ad vivum exprimens, ut ejus
sanctitatis famâ longè, latèque exciti populi,
ad eum, velut ad naturæ humanæ portentum
sæpe confluerint. Eisdem annis sine corpo-
rali cibo, quotique vitam egit, solo sanctissi-
mo Christi Corpore, quod mensibus saltem
semel, refectus. Cujus inedia nunquam
visæ, Constantiensi Pro-Episcopo mirabile
experimentum fuit; dum ab eodem vir-
tute obedientiæ coactus vir Dei, panis fra-
gmentum, & vini guttam sumere, tam
ægrè deglutiit, ut iis præ ingenti dolore sta-
tim rejectis, animam efflare videretur. Inter
hæc assiduo virtutum studio, & perpeti Do-
minicæ Passionis meditatione dæmonum fu-
rorem in se vehementissimè concitavit: illos

tamen fugatos à beatissima Dei-Matre, quam sine labe originali conceptam præcipuè venerabatur, non raro factus est. Has inter pugnas, & victorias multis cœlestibus visionibus recreatus est. Illustrior illa fuit; quando Sanctissima Trinitas in notæ fulgentis specie sese ei objecit, & tanta divinorum radiorum, arcanaque sapientiæ copia in eum est profusa; ut in vultu ipsius insolitus splendor usque ad mortem hæreret: Ostentumque illud delineari curatum, pro libro suo haberet, ex quo sine alio litterarum adjumento cuncta perdisceret.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: solum gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. *V.* Induit eum Dominus lorica fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

DEi igitur magisterio sedulo usus, charitatem proximi summæ contemplationi conjunxit; nam accedentes ad se populares maximè suos, multis salutariibus monitis erudit: potissimum eos exhortans ad sanctæ Sedis Apostolicæ, & Cleri observantiam, Fidei Romanæ integritatem, constantiamque mutui amoris, ac demum ad dignos fructus pœnitentiæ, quam vultu, & corpore prorsus emaciato, rudi insuper tunicâ, & nudo semper

per capite, & pedibus efficacissimè prædica-
 bat. Prophetiæ dono eminuit: futura, & oc-
 cultas hominū cogitationes sæpenumerò per-
 spexit. Sarnam, præcipuum Sylvæ Superio-
 ris Pagum, gravi incendio conflagentem,
 Crucis signo illicò exemit. Demum anno
 post Christum natum octuagesimo septimo
 supra millesimum quadringentesimum, octi-
 duano morbo gravissimè cruciatus, ut pridem
 divinitus edoctus erat, in asserem, quo toto
 Eremiti tempore pro lectulo utebatur, corpus
 suum protendit; & inter divinas laudes vi-
 tam Angelicam placidissimè claudens, spiri-
 tum Deo reddidit, vigesimo primo Martij die,
 ipso festo sancti Benedicti, natalitio suo, ac se-
 ptuagesimo ætatis anno. Sacrum corpus in
 Sachslensi Parochia conditum, magno Helve-
 tiorum, & exterorum accursu colitur: quod
 etiam cum sanctus Carolus Borromæus invi-
 feret, Nicolaum eximium Sanctum esse pro-
 nuntiavit. Ad ejus sepulchrum claudus, qui
 Compostellæ pedis incolunitatem à sancto
 Jacobo exorare non potuit, recepit. Infans
 autem à dormientibus oppressus, & penitus
 suffocatus, ejus meritis revixit. Miraculis in
 vita & post mortem clarum Clemens Nonus
 Officio, & Missâ decoravit in Ecclesia, ubi
 Corpus ejus requiescit. Clemens, verò Deci-

mus eam gratiam ad totam Helvetiam, atque Constantiensem Dioecesim extendit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. *V.* Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. *Quia. Gloria. Quia.*

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Ecce nos reliquimus omnia. Ut in Communi Apostolorum.

Missæ: Os iusti. Oratio, ut suprâ. Evangelium ex Communi Abbatum. Ecce nos reliquimus omnia.

Secreta.

DEUS, qui beatum Nicolaum in terris venerari fecisti; da nobis ejus intercessione, à peccatorum nexibus absolutis; in Cœlis etiam de ejusdem societate gaudere. Per Dominum.

Postcommunio.

Pretiosi Corporis & Sanguinis tui Domine refecti salutaribus alimentis, concede nobis, ut meritis & precibus beati Nicolai in cœlestis Panis dulcedine, quâ eum in terris satiari dignatus es, ad æterna gaudia transire mereamur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula seculorum.